

cf 539

Reverend^{me} et Ill^{me} princeps, cardinalis amplissime.

Pax Christi. Refugerem sanè purpuram illam, qua fulges, et hanc, ad quam Deo auctore ascendisti, status sublimitatem, nisi me duo, non ad fugam, sed ad refugium, sollicitarent: alterum memoria veteris illius affectus, quo me octo retrò annis, cum patre Gregorio Roesphio, tunc provinciae procuratore, in Germaniam redeuntem, arctissime in collegio nostro Romano complexum et eleganti donatum culâ (à patre Philippo Pantaleone, cum propria non esset, tunc emendicatâ) subscripto nomine, paternè prorsus dimisisti; alterum quod probè normam assumptum ab Ill^{ma} Celsitudine vestra hunc amplissimum honorem, ut in eo propagandae divinae gloriae eiusque amplificandi nominis uberiores crebrioresque quaereret occasiones; quaerenti, hanc ego offero, eamque geminam, nec ulli diffido, utraque enim Dei Deique matris causa.

Ecclesia est in provincia Sueviae, in monte Busso sita, ampla et augusta, divo quidem Baptistae sacra, eius tamen altare medium, Dei genitrici primitus erectum, summa incolarum accolarumque religione colitur. Ad id ex remotis etiam locis, instinctu numinis, uterque sexus toto propè anno confertissime confluit, suis ut istic seu corporis seu animi malis medeatur. Adiungo quae supplicans loci parochus Laurentius Rebman, pontificii iuris doctor vir probus iuxta ac doctus et collegii Germanici de Urbe ante decennium alumnus, ad me superioribus diebus fideliter perscripsit. Videas hic, inquit, pluribus per annum diebus, duo, tria eoque amplius hominum millia, multâ ad magnam Dei parentem fiducia, accurrere, opem sibi suisque poacere, saepe mox, saepe non multo post, rogata impetrare, caecos, claudos, aliisque exercitos morbis integrè restitui: sic affixa muro vetus tabula edocet. Nec nova desunt: inter multa illud luculentum dexteræ Excelsi et praesentis Numinis argumentum: Parentes mutum susceperant filium in pago Alen: huic propitiam fore Dei matrem

/ in monte Busso, pleni bonae spei, ipsi sibi praesagiunt; accurrunt
 ad templum proque salute filii bovem munus offerunt: loquelam dicto
 citius eamque perfectam puero impetrant. Interea coecâ denuo arden-
 tes bovis cupiditate, certâ eum pecuniâ redimunt mactant^{que}. Reddita
 5 vox antea puero, eidem confestim adimitur. Offeritur bos alius, quo
 vix oblato, (incredibile videri posset, nisi factum esset) adempta
 vox puero, defixis stupore qui aderant universis, perfectè resti-
 tuitur. Porro vox una est omnium, coementa, ligna et id genus alia
 10 ad construendum templum in pago Offingen (locus est in ipso pede
 montis situs) iam congesta quarta vice divinitus in montem Bussum,
 nullius omnino hominis adminiculo, translata. Haec, Amplissime Car-
 dinalis, Dei Deique matris in suam aedem amoris testificatio, haec
 populi, in medio licet nationis haereticae positi, in eandem constans
 ac peræpetua devotio, quam quia auctam et novo fœnore multiplica-
 15 tam Ill^{ma} Celsitudo V^{ra} (ausim iurare) desiderat, humillime per me
 petit praedictus Amplitudinis Tuae et SS^{mi} Dⁿⁱ Nostri filius et al-
 umnus Laurentius Rebman, ut ad magnae matris honorem, piorum spiri-
 tuale solatium, addo etiam circumstrepentis turbae haereticae confu-
 sionem, Ill^{ma} Celsitudo V^{ra}, pro paterno suo in afflictas ^{ovículas} ~~inimicos~~
 20 amore, aliquas dictae nobilissimae ecclesiae indulgentiis à SS^{mo} D^{no}
 Nostro Paulo V clementer impetrare (confessis tamen et communicatis
 istic) non gravetur, plenarias quidem pro omnibus beatissimae Dei
 genitricis solennitatibus totius anni, festis porro S^{ti} Ioannis
 Baptistae nati et decollati, aliquas deinde minus solennes quotti-
 25 dianas. Non deerit (omnino confidimus) Ill^{ma} Cels^{do} V^{ra} tam pia ac
 iustae suorum filiorum ardentissimae petitioni.

Hoc primum, illud alterum: Sunt in hac etiam Sueviae provin-
 ciâ sacerdotes paro^{chi} duo, viri insigniter pii iuxta ac solidè eru-
 diti, ambo artium et philosophiae doctores ac ss^{tae} theologiae can-
 30 didati, ambo S^{mi} Dⁿⁱ N^{ri} in seminario olim Dilingano alumni,
 alter Leonhardus Gentner nomine, pastor Bibracensis; alter Bartho-

/ lomaeus Ruothart Luitkirchensis, oppidis imperialibus impiâ Lutheri
sectâ magnâ ex parte foedissimè inquinatis. Utrique communis cum
praedicante seu verbi ministro suggestus, quem, descendente uno, al-
5 ter conscendit. Iam cum effera illa gens vel evinci, vel ad frugem
reduci, vel saltem ad silentium compelli, orthodoxi vero in haeresum
odium exacui alia via vix possint (ut nos perpetua hic docet experi-
entia) quam ipsis ante oculos constituendo imposturas erroresque ip-
sorum, non ex orthodoxorum elucubrationibus, quibus apud ipsos nulla
fides (cui enim sano alioqui convertendo unus prae millibus non suf-
10 ficeret Bellarminus? :absit assentatio) sed ex ipsorummet propriis
et apud ipsos impressis libris; rogant supplicantque ex gravibus ac
necessariis hisce motivis praedicti domini pastores Ill^{mae} Celsⁿⁱ
vae ipsis ut nefariorum haereticorum copia legendorum librorum, Sedis
Apostolicae dispensatione, concedatur. Erit ea res protervis apostata-
15 tis extremo dedecori, catholicis vero eximio honore.

Haec ego, Amplissime Cardinalis, rogatus ipse, quam possum obni-
xissime et, nisi graviter erro, etiam aequissime rogo obsecroque. P
Praedicabunt hi nomen Amplitudinis tuae (etsi id minimè spectes) iam
antea apud nos suo merito inter bonos immortale, inter hostes vero
20 veritatis terribile factum, posterique omnes; reponet autem susceptum
laborem pro Virgine matre praesertim ipsa Virgo mater cumulatissimè;
sumptus porro, si qui faciendi, facient boni illi et zelosi viri promp-
tissimè.

Ill^{mae} Celsⁿⁱ vae nostrum tandem paulatim emergens Constantiense
25 collegium, novam avitae religionis coloniam, et per ipsam SS^{mo} D^{no} N^{ro}
uti devoti amborum filii in Christi visceribus, parentibus optimis ac
sanctissimis, submississimè ad sanctos pedes vestros toto mentis af-
fectu prostrati commendamus.

Constantiae 17 decembris a° 1605.

30 Rev^{mae} et Ill^{mae} Cels^{is} et Amplitudinis Vestrae

Devotissimus filius

Ioannes Dannemeyr è Societate Iesu.

/ R^{me} et Ill^{me} Domine. Idem humiliter peto quod pater Ioannes
et pater Alexander petunt, hoc est ut his tribus facultas illa su-
pra memorata concedi possit, quia vere digni sunt et indigent.
Cae terum Ill^{ae} et Ampl^{ae} Celsⁿⁱ V^{ae} me meumque collegium submis-
sissime commendo.

Rev^{mae} et Ill^{mae} C. V.

Indignus olim discipulus nunc filius de-
Melchior Degenhart Soc^{tis} Iesu ibidem rector indignus^{us} mp

Adresse: Reverendissimo et Illustrissimo in X^{to} Principi ac Domino
Dnō Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali Amplissimo et Do-
mino observandissimo (cachet)

a Roma.

Arch.Vatic. Gesuiti 18 fo.82-83^v. Origin.autogr.